

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

In diuites publico malo. Emblema LXXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

dam insignes, vt qui turpia, & quæ alioqui silentij fidem requirunt, cructantes aperiant, & quæ natura prouida voluit esse tecta, detegunt euulgantq; sicq; interdum loquuntur, vt, quod vulgo dici solet, podicem ex ore faciant. Hos itaq; non ab re Ibides dixeris, id est, sordidos & ineptulos; indignos, inquam, qui in hominum albo numerentur, perspecto auis ingenio. Hæc

enim (vt diximus) rostri aduncitate se p eam purgat partem, id est, aluim, qua red-di ciborum onera maximè est salubre. De panthera ferunt, eam tam auidam esse excrementorum hominis, vt si in vase suspèdantur altius quàm possit attingere, cneet sese defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis, quod est scedissimum, id dulcissimum est. Vide prouerbium, *Oscè loqui.*

In diuites publico malo.
EMBLEMA LXXXIX.



ANGVILLAS quisquis captat, si limpida verrat
Flumina, si illimes ausit adire lacus,
Cafus erit, ludetq; operam: multum excitet ergo
Si creta, & vitreas palmula turbet aquas,
Diuces erit: Sic ijs res publica turbida lucro est,
Qui pace, arctati legibus, esuriunt.

COM.

COMMENTARIUM.

I. DVO piscatores in aqua stagnante piscas venantur: alter quidem pertica aquam turbare videtur, alter ex aqua turbulenta captam anguillam extrahit.

ma. Virg. 5. Aeneid.

Litus ara, & lauas stringat sine palmula cautos.

Vitreas aquas.] Per similitudinē vitree dicuntur aquae, cum sunt quietae, nec turbatae Statius 5. Siluarum:

---Vitreasq; natata

Plaudis aquas.

Turber] Aristoteles lib. 8. de nat. animal. cap. 2. Anguillae, inquit, paucae quaedam, certisq; locis vescuntur limo atq; edulij, si quis apponat. Sed plurimae dulci humore viuunt, idque qui viuariis anguillaribus dant operam, obseruant, vt quam maximē pura sinceraq; sit aqua, fluens semper, & effluens per ripas, vbi viuaria extruuntur. Nam nisi aqua sit clara, breui strangulatae intereunt, branchias enim habet exiguas. Hinc turbare aquas soliti sunt, qui eas piscantur. Haec Aristor.

Aqua vna trea.

Anguilla vna.

Dives erit] ditabitur ex copiosa captura.

Sic ijs res publica &c.] Similitudo erat, cuius hic est d. πόδοσις.

Turbida] tempore tumultus aut belli. Pace] tempore pacis.

Arctati legibus] coacti, retentique iugo legum ciuilium. Elegans metaphora à vin culis aut compedibus, quibus illigati fontes retinentur. Lex, teste Cicerone, vinculum est ciuitatis, libertatis fundamentum, fons aequitatis, &c. Nec sanè aliunde magis florent Republicae, quam cum legum viget auctoritas: quae institutae sunt praecipue, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia, tradit Ithorus auctor non omnino malus. Huc pertinet quod alicubi dictum est à Demosthene: εδιν ὄφελος πόλεως, ἥ τις μὴ νεύρα ἐπὶ τὸς ἀδικήντας ἔχει. Nulla utilitas ciuitatis, quae non habet neruos in iniuriosos. Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire, ait Modestinus. Seneca 95. epist. appellat leges minis mixta praecipua, constituuntur itaq; leges poena. Ergo punit lex ea etiam interdicto, quae non sponte admittuntur flagitia, sed culpa aliqua atq; ignorantia: vt lex Aquilia culpam in damno dato vel leuissimam, l. 37 Si putator, l. 44. ad l. Aquil. ff. Sed ad rem: leges constringunt improbos, aliosq; in officio continent Repub. quietas, nullo

Lex cur primum lata.

Fons Emblematis.

Anguilla qui dicitur canis capere.



II. ID videtur sumptum ex apologo quodam Aelopio, de piscatore aquam verberante, vt fugientes pisces incaute in retia prolaberentur. Quam aquarum turbationem cum culparet aliquis, statim huic piscator: At nisi, ait, sic moueatur vnda, memori esurientem est necesse. Proinde vulgato Adagio ij dicuntur anguillas captare, qui priuati quatuor gratia tumultus concitant, cum videant publico Reipubl. statu nihil se posse contadere. Itaque non mirum, si seditiones enatas esse gaudeant, vel etiam excitent, quod publicum ciuitatis malum in suum vertant commodum. Prouerbii vsum ex Aristophanis verbis in Equitibus colligere facile.

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχείλους θηρώμενοι πίπονδαις,

Ὅταν μὲν ἢ λίμνη λατασῆ, λαμβάνουσιν ἔδην.

Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βέρβορον κυκώσιν

Ἄνθρωποι, καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν παρατήης.

Fecisti, vt is qui captat anguillas, facit; Quia cum sunt stagna, venatur nihil: Sed caenum vbi omne illac & hac subuertit,

Captura magna est; tu quoq; vbi perturbaueris.

Hanc ciuitatem, & inde plurimum capis. Vide adagium, Anguillas captare. & Picturum, Hieroglyph. 29.

III. ANGVILLAS] De anguilla diximus supra Embl. 21.

Si limpida verrat Flumina] si in aqua pura & lucente piscetur. Virg. 6. Aeneid.

---Remis vada liuida verrunt.

Illimes lacus] sine limo. Ouidius 3. Metamorph.

Fons erat illimis, niti dis argenteus vndis.

Cassus erit, ludetq; operam] id est, spe excidet, nihil capiet, frustra se laborasse sentiet. Prouerbiales metaphora.

Multum excitet ergo Si creta] Si multum arenae vel sabuli, aut caeni limine excitari.

Pa. mala.

Pa. mala.] Remi extrema pars, sic dicta eo quod praetensa est in modum pal-

que tentata tumultu. Sic M. Tull. pro Sextio: Illam tot iam funeribus Reipub. exultantem ac tripudiantem, legum, si posset, laqueis constringeret. Rebus enim perturbatis scelerati homines sibi pollicentur impunitatem, qua nulla maior ad peccandum illecebra. Proinde apud Suetonium, Iulius Caesar dictitabat, iis, quos grauior criminum vel inopia luxuriae vis urgeret, bello ciuili opus esse. Cum superioribus isthaec adiungo: at statos legibus pro iis, qui legum nexibus, & quasi iugo continentur. Nam & iugum, legum symbolum fuisse interpretes quidam rerum sacrarum docent. Recte apud Virgil. in 1. Aeneid.

*Iugum pro
legum sym-
bolo.*

--- *Legesq. uiris & moenia ponet.*
Qui enim legibus parat, similitudine quadam: colla subdere iugo videntur: ut subire iugum inferiores, qui potentiorum parent imperiis.

IV.
*Fiscari
anguillas
quid.*

PER piscationem anguillarum manifeste designatur illud, quod dicitur: *ὅτι τῶν πάλαιων δημοκρατῶν τῶν μάλιστα ἐργάζονταί, ὅταν τὰς παρτίδας εἰς σάσιν περιπαύσιν: eos nempe qui Reipub. elatum tenent, tum vel maximè quatum facere, cum patria: sua opera, laboras seditione.* Est certe quoddam hominum genus, quod non nisi malo publico saginatur, & cui rebus tranquillibus malè est. Hi nihil magis affectant quàm ut res mortalium furtum deorsum misceantur. M. Tull. pro Amerino: Is mihi propriè & solus honos videtur, quem sis neq; maiorum commendatione, neq; per alterius calamitatem assecutus. Lucanus lib. 1. belli ciuilis:

*Hinc vsura vorax, auidumque in fenore
tempus.*

Et concessa stas, & multis utile bellum.
Eo de genere praefecti fisco, etiam quaestores, de peculatores, & qui annonam vexant, & dardanarij, hiruines num-

quam saturæ, qui spiritum ac sanguinem populi auido ore sitiunt, nedum fortunas expilant: & quibus licet esse beatis, quia eorum fraudibus quidam viri principes ut nunquam ferè desinant. Querimur, eiulamus, lamentamur, sed quis Calais vel Zethes harpyias famelicis abigit: quis magistratus intercedit? quis gratiosus noxas volitantes auerruncat? Imò si quis se se forte offerat, suspectas habemus querentum lacrymas, vota inceslimus spoliatorum. Quin nec mala nostra, nec etià remedia pati possumus: praedari, depeculari, aliena diripere putamus esse licitum, quia solenne est fieri: & ad id vite genus p omnes prouincias comparatae sunt hominum myriades, quibus nihil aliud pensi, quàm ut suos compilent populares, miseros nonnunquam & egètes, & quibus praeter miseram animam nihil est reliqui. Verùm

*Hac starent, si virtutis vena vlla paterna
Viueret in nobis: vnde istud dedecus.*

Hanc artem (heu nimium) callèt quidam Principes δημοσκόποι, qui tyrannico cōcilio in ciuitatibus dissidia serant, quò licètius mulctent miseram plebeculam. Notissimum est quod iactitant magni illi latrones à laqueo immunes, nihil esse vilius & opportunius, quàm in aqua turbida piscari. Sic viuunt: ea est morum deprauatio atq; hominum peruersitas, ut qui ipsi se penumerò legum sacra tractant, aut certe quibus ut custodibus asseruanda & tutanda conceduntur, ipsimet legum solutis & perfractis repagulis visitent. Memini què aliquando Marius apertè libereque factus est: Bello enim contra Cimbro gestò, cum mille Camertes ciuitate donasset, idq; quibusdam reprehenderetur, ut à legibus patrijs alienum, statim ait, se inter armorum strepitus legum praescriptum & quasi vocem audire minime potuisse.

*Principi
quorundam
viti
na.*

